

Quid proderit tibi æterna miseria & infelicitas mea? At quantum mihi prodesse potest gratia ac misericordia tua? Noli ergo attendere iniquitatem & peccatum meum, sed potius respice infinitam benignitatem tuam, quæ te moveat ad dandam mihi gratiam sinceræ pœnitentiæ, qua expiem in vita scelera mea, ut in die illa tremenda evadam iudicium ultionis tuæ, & merear lucis æternæ beatitudinem perfrui. &c.

CONSIDERATIO III.

De Dominio DEI.

Deus Supremus Dominus noster,

1. Titulo jurisdictionis.
2. Titulo proprietatis.
3. Titulo acquisitionis.

P. 1. *DEus Supremus Dominus titulo jurisdictionis.* Si iis omnibus, quibus in republica rerum summa commissa est, jurisdictionis competit in subditos sibi populos, auctoritasque legitima condendi, mutandi vel abrogandi leges, quanto magis hæc competet Deo tanquam communi omnium Domino? Quale enim illud foret dominium, cui nulla suffragaretur auctoritas, nulla potestas libertatem subditorum restringendi? Qualis

vicissim illa subjectio, si cuique integrum foret facere, quod vult; imperata exequi, vel impunè negligere? Si proinde Deum Supremum omnium Dominum fateri cogimur; *Tu Domine uniuersorum*; 2. Mach. 14. ei quoque supremam jurisdictionem, plenissimamque potestatem pro arbitrio nobis imperandi, quacunque voluerit, tribuamus necesse est. Quod si proinde ut Pater, iure à nobis exigit filialem observantiam, & amorem; ut iudex, debitum timorem; ut Deus, summam estimationem & honorem; nonne æquali iure ut Dominus, summam exiget subiectionem & obedientiam? Tantum certe obligationis ex parte nostra est ad obediendum in omnibus ejus mandatis, quantum in ipso juris ad nobis imperandum: jus autem illud quam immensum est, quam late patens, quam infinitum, quam æternum, quam nulli obnoxium, nullisque limitibus circumscriptum? Uti enim Deus, ita Dominus; uti infinitus, ita infinitus Dominus; uti æternus, ita Dominus æternus; uti sui juris, ita quoque Dominus sui juris; cui nemo præscribere, nemo sine temeritate & injuria ausit refragari; quique leges dare possit, quin eujusquam aut consilium aut consensum requirat; pro ut infinitæ scilicet

cet sapientiæ suæ visum fuerit. Atque ideo
 cum legem ferret per Moysen, populo suo
 Israelitico; post quamlibet fere legem, dum
 promulgabatur, aliam causam addere noluit
 ad auctoritatem legi suæ conciliandam, quam
 hanc unicam: *Ego Dominus*. Quamvis enim
 infinitæ sapientiæ suæ infinita quoque non
 deessent incitamenta bonitatis, æquita-
 tis, honestatis, utilitatis, justitiæ &c. in
 quibus leges sapientissime a se latæ fundaban-
 tur, nullo tamen alio eos communitare voluit,
 quam hoc ipso Supremi in omnes dominii:
Ego Dominus: quod hoc solum cu vis rationis
 compoti, sufficere debeat ad se Divinæ ejus
 dispositioni absque ulteriori inquisitione, aut
 tergiversatione promptissime subjiendum.
 Et certe si nosmet ipsos consideremus, etsi de-
 legatam solummodo a Deo potestatem in
 alios habeamus, an non hoc ipso satis super-
 que juris habere nos credimus, ad exigendam
 ab iis, quibus præpositi sumus, exactam
 mandatorum nostrorum observantiam; pœ-
 nis etiam gravioribus in refractarios animad-
 vertentes? Quantum ergo juris Deo compe-
 rat necesse est in nos, omnesque actiones no-
 stras; cum non dominium delegatum ac cir-
 cumscriptum in nos habeat, sed dominium

altum supremum, non coarctatum, idque ex ipsa natura & essentia sua Divina, qua super omnes ita eminet; ut omnis mundi potentia in comparatione illius sit veluti Stilla roris antelucani, imo verius nihilum. Ah mi Deus si supremam hanc jurisdictionem tuam spectem, quid mihi imperare non potuisses? Nonne integrum tibi erat mihi præcipere, quidquid vires & facultates meæ permittebant? An consilia, quæ dedisti mihi (ut libertati simul ac fragilitati meæ consuleres) in mandata, quæ me arctissime ligarent, convertere non potuisses? An, quæ pœna solum temporali proposita clementissime vetuisti, sub æterna prohibere tibi non licuisset? An non facultatem mihi adimere potuisses innocuis fruendi voluptatibus, quas nunc in solatium al quod naturæ benigne indulxisti? si ita mecum, uti sine injuria, imo jure tuo poteras, egisses, num vel mutire contra mihi licuisset; cum tu Dominus, ego servus sim, quovis nomine tibi subjectus? Verum quam suavem in omnibus tua circa me semper fuit providentia! quomodo supremo jure tuo haud quaquam uti voluisti, non tractans me ut servum, qualis re ipsa sum, sed ut filium; etsi toties quidquid filii est, erga te penitus

exuerim, teque non ut Dominum, minus patrem tractarim, sed potius ut hostem; imo servire te fecerim in peccatis meis! &c.

P. 2. *Titulo proprietatis.* Non solum Deo, & jusque supremæ perfectioni debetur jus summum, stabile ac independens jurisdictionis in omnes res conditas, sed & jus proprietatis, illudque tam amplum, ut non solum se extendat ad earum essentiam & naturam, sed & omnes earum proprietates, effectus, & actiones, ita, ut nihil extra Deum invenias, quod ab ejus supremo dominio sit exemptum. Cum enim verbo virtutis suæ condiderit omnia, formaveritque ut loquitur scriptura. 2. Mach. 7. omnium nativitatem, omniumque invenit originem; nihilque dari possit, quod ab eo existentiam suam, & quidquid habet, ac potest, non acceperit; consequens omnino est, ut omnia quæ in mundo sunt, in existendo, & operando ita ab eo dependeant, ut nisi ab ipso & per ipsum essent, omnino non essent, imo nec esse nec operari possent. Quanquam enim ad hoc, ut non simus, congenita nobis ratio nihili sufficiat; ad hoc tamen ut simus, & in existendo conservemur, divina plane potentia opus est, cum nihilum nihil sibi dare possit, ideoque illius virtute neces-

cessario indigeat, qui *vocat ea, qua non sunt,*
tanquam ea que sunt, ad Rom. 5. Certe si te
 totum a vertice ad calcem examines, nonne
 ingenue fateri debebis cum Jobo. c. 10. *Ma-*
nus tue fecerunt me, & plasmaverunt me to-
tum in circuitu: & iterum: nonne sicut lac
mulisti me: & sicut caseum me coagulasti? Pelle
& carnibus vestisti me: ossibus & nervis com-
pegisti me, vitam & misericordiam tribuisti
mibi: & visitatio tua custodivit spiritum me-
um. Tollat Deus, quod suum in te est, ti-
 bique liberaliter donavit, quid retinebis mi-
 ser, nisi quod proprie & unice tuum est, ni-
 hilum scilicet & peccatum? Ubi corpus erit
 cum suis organis ac sensibus? Ubi anima cum
 suis facultatibus spiritualibus? Ubi præroga-
 omnes tam naturæ, quam gratiæ? *Quid enim*
tivæ habes, quod non accepisti? ad Cor. 4. Cum
 proinde nihil habere a nobis ipsis possimus,
 nonne omnia illi debemus, a quo omnia pro-
 fluunt? Nonne proinde omnia nostra, non
 nostra, sed ejus sunt, a quo illa accepimus,
 non domini eorum, quæ nostris annuera-
 mus, sed meri beneficiarii, & quidem sola il-
 lius liberali munificentia; eo majores debito-
 res, quo plus accepimus, eo etiam magis a
 prima nostra origine dependentes, quo mi-

nus nobis ipsis dare potuimus: Quid enim
 quæso suum esse volet, qui totus est alterius?
 Quid sibi proprium arrogabit, qui totus
 quantus pender ab alio? Nonne in potestate
 Domini sui est, quisquis ex asse servus &
 mancipium est? Ast quæ servitus, quis man-
 cipatus similis illi, quo nos subijcitur Deo?
 Num Dominus aliquis temporalis formavit
 servum, aut Rex quispiam subditum suum?
 An ei membra, an corpus, animam, vitam,
 aut rationem dedit? Plusne ergo juris conce-
 dam homini in hominem, aut in jumentum
 suum, quo pro arbitrio utitur, illud venden-
 do aut donando alteri, quin de eo reddere ra-
 tionem teneatur: quam Deo in opera manuum
 suarum? aut forte conditor hoc in genere de-
 terioris erit conditionis, ejusque potestas
 magis arctata, quam vilissimæ cujuscunque
 creaturæ suæ? Si dominum nullum agnoscis
 in iis, quæ tui arbitrii sunt; Deus, qui liber-
 time fecit, quæcunque fecit; non sit pleno
 jure Dominus omnium, quæ ab ipsius volun-
 tate dependent? Nonne uti dixit, & facta
 sunt, ita potuisset non dicere, nec quidquam
 factum fuisset; cum sine ipso factum sit ni-
 hil, quod factum est. Joan. i. Quanta pro-
 inde temeritas tanto Domino manus ligare
 velle, ne faciat nobiscum, quod ipsi placuerit;

velle illum quodammodo obligare, ut nostræ
 voluntati genio & inclinationi decreta sua ac-
 commodet, modum & rationem, ei præscribere,
 qua nos gubernet? Quasi vero integrum ei
 non foret de re sua pro libitu statuere, nos af-
 fligere aut solari, attollere aut deprimere,
 locupletare aut bonis exuere, vitam nostram
 producere uti Ezechix, aut breviare? Itane
 mancipium agat cum Domino suo? Nonne
 hoc tantundem foret, ac cum Pharaone ite-
 rare blasphemias illas voces: *Quis est Domi-
 nus? Nescio Dominum.* Exod. 5. Ah mi De-
 us! nimis manifeste ostendis in omnibus su-
 premum & absolutissimum dominium tuum
 in cælo & in terra, quam ut sine scelere ac
 injuria tuæ quis audeat refragari voluntati.
 Loquuntur dominium tuum corpora cæle-
 stia, quæ solo nutu tuo perpetuo volvuntur,
 munere sibi imposito sine intermissione exa-
 ctissime fungentia: *Ordinatione enim tua per-
 severat dies, quoniam omnia serviunt tibi.*
 Ps. 118. Loquitur terra, quam fundasti super
 stabilitatem suam & permanet: Loquitur ma-
 re, cui constituisti terminos, quos non trans-
 greditur: loquitur mors & infernus, quorum
 claves semper in manibus tenes. Quid proin
 æquius, quam ut me tuæ in omnibus subji-

ciam voluntati, omnique cum demissione
 profitear: O Domine! quia ego servus tuus.
 Ps. 115. Verum! An sicut me servum profiteor,
 ita re ipsa fidelem in tuo servitio exhibeo?
 Nonne haec magis mihi, meisque ser-
 vivi affectionibus; quam tibi? At *quis plan-
 tat vineam, & de fructu ejus non edit?* 1. ad
 Cor. 9. Nonne fructus debentur illi, cujus
 est arbor? &c.

P. 3. *Titulo acquisitionis.* Si non esses Dei
 titulo creationis, nonne ex toto Dei saltem
 esses titulo acquisitionis? Quid magis me-
 um, quam quod proprio aere a me compara-
 tum, quodque meo sudore ac labore partum
 est? Quod si duplo aut triplo plus quam va-
 lor sit, rei a natura insitus, in eam impendi;
 nonne potiori adhuc jure mea est, plenissi-
 mumque in eam Dominium mihi vendico?
 Nonne pariter omni aequitati naturali repug-
 naret, si quis re ita acquisita, ejusque domi-
 nio, aut usu me spoliare vellet? Age nunc, &
 perpende, tuine juris sis, an Dei? Cujus per-
 peccatum fueris, nosti: nosti namque, quod
 uti servus fuisti peccati, ita servus factus sis
 diaboli, captivus inferni. Quis his vinculis te
 exemit? Quis ab hac servitute te liberavit?
 Quis eum in finem pretium condignum Deo
 exsol-

exsolvit? Tune, an alius? & quis ille? Nonne Filius Dei, adeoque ipse Deus? Et quale pretium? An, uti nos per emptionem rem aliquam nostram facimus, magnam auri argenti que vim in eam profudit? Ah! *non corruptilibus auro & argento* inquit Apostolus, *redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati*? 1. Pet. 1. Non ut in veteri testamento, oves & boves in holocaustum, hostiamque pacificam Deo Patri obtulit, sed se ipsum, animam suam, vitam suam, sanguinem, honorem, famam, & quidquid habuit; idque ut animam non suam, sed tuam, nec a morte solum æterna vindicaret, sed & felicissimam redderet per totam æternitatem: ut proinde plus nec pro se ipso facere potuisset, quam tui amore fecit; nec plus pro anima tua solvere potuerit, quam re ipsa solvit, scilicet pretium sui ipsius; quo lytro nec majus, nec nobilius aut Deus exigere, aut Filius Dei repræsentare poterat. O quale pretium! si vel unicam guttam Sanguinis sui, valoris infiniti, pro te profudisset, an non pretium abundantissimum, & infinities majus valore animæ tuæ persolvisset; ut vel hoc solo nomine totus transisses in jus ac dominium Christi, quantum ergo juris in

te acquisivit, cum tot infiniti valoris pretia pro te solverit, quot alapas, sputa, flagra, spinas, vulnera pro te pertulit, quot guttas sanguinis ad ultimam usque pro te profudit? Cum tam caro ei steteris, tantoque suo impendio jus in te acquisiverit; non licebit ei jure suo uti, ac de te statuere, quod ipsi collibitum fuerit? Nonne tu potius jus omne convelleres, si liberrimæ ejus dispositioni ac voluntati vel in minimo te opponeres; cum æquitas postulet suum cuique tribuere, nec alterius jus ac legitimam potestatem vel in minimo violare aut impedire? Ah Deus meus! ergone tot titulis tuus sum; & tamen non tuus, sed in omnibus meus, meique juris esse volo, me solum quærens, meis obsecundans desideriis, sicque re ipsa mihi serviens, meisque cupiditatibus, tibi vero non nisi inanem quodammodo titulum Domini relinquens. Quid proderit mihi aliquando, quod te Dominum agnoverim, teque Dominum meum ore confessus fuerim; si non tuæ, sed meæ morem gesserim voluntati? Nonne servus sciens, & non faciens voluntatem Domini sui, vapulabit multis? Luc. 12. Poterasne qua Dominus minus a me exigere, & ego qua servus minus facere, quam quod tu a me exi-

gis.

gis, milia
 tam
 cui oper
 tibi red
 vos quod
 sem? cu
 & magn
 bixib
 qui &
 volens
 um pr
 ratione
 ab om
 cum tu
 esse no
 tuo ser

Deus
 cel
 3.0
 P. 1. L
 supren
 essenti

gis, mihi que faciendum incumbit? Nonne si
 ea omnia, quæ indies mihi præstas, meique
 causa operaris, e contrario paucula illa quæ
 tibi reddo, obsequia perpendantur; tu ser-
 vus quodammodo, ego Dominus videri pos-
 sem? cum ea quæ mihi præstas, & numero,
 & magnitudine infinite superent ea, quæ ti-
 bi exhibeo. Ah quale monstrum hominis sum,
 qui & naturæ & rationis ordinem inverto,
 volens, ut tu Deus meus semper bonum me-
 um promoveas, quin ego boni ac gloriæ tuæ
 rationem habeam; tu mihi servias, ego vero
 ab omni servitio liber & exemptus sum! O
 cum tuus esse cupiam in æternitate, cur tuus
 esse nolo in tempore, totum me impendens
 tuo servitio, totum tradens tuæ voluntati? &c.

CONSIDERATIO IV.

De Dominio DEI.

Deus supremus Dominus 1. titulo ex-
 cellentiæ. 2. titulo independentiæ.
 3. titulo nostræ indigentæ.

P. I. *Deus Supremus Dominus titulo excel-*
lentiæ. Uti Deus per essentiam suam
 supremum & unicum bonum est, ita & per
 essentiam suam supremus & unicus dominus